



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia


Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Lemgoviae, 1714

Acidula Driburgensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-8040





H
D
E
C
M
S
I

ACIDULA DRIBURGENSIS.

MEMORIÆ SACRUM

HIC. EGO. VISCERIBUS. MAGNÆ. PRORUMPO. PARENTIS
 LARGA. SALUTIFERÆ. VENA. PERENNIS. AQUÆ
 DOCTA. GRAVI. MORBO. RENES. ET. FÆCE. LIENEM
 ET. TUMIDUM. FLAVO. BILE. LEVARE. JECUR
 ET. TORPENS. ACIDO. STIMULANTE. LIQÜORE. PALATUM
 TÆDIA. VENTRICULO. PELLERE. FAUCE. SITIM
 QUI. BIBIT. ERGO. MEOS. LATICES. ET. CIVIS. ET. HOSPE
 INCOLÛMIS. NOSTRIS. RITE. PRECETUR. AQUIS
 MAGNIS. UT. HAS. ARMIS. CAROLUS. VICTRICIBUS. UNDA
 SAXONICO. FERTUR. SUPPOSUISSE. PADO
 SIC. FERNANDE. TUO. DECORATÆ MUNERE. LONGO
 TEMPORE. TE. SALVO. SUB. TUA. JURA. FLUANT.

FERDINANDUS. DEI. ET. APO-
 STOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS
 PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MO-
 NASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. CO-
 MES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
 RO. DE. FURSTENBERG.

AD. ACIDULAM. DRIBURGENSEM. SALUBRITATE
 MEDENDISQUE. CORPORIBUS. NOBILEM. COMMO-
 DIUS. HAURIENDAM. EDUCTA. HUMIDO. SOLO.
 ARBORIBUSQUE. CONSITA. AD. DEAMBULANDUM
 VIA. ET. FONTIS. CELEBRITATI. ET. PUBLI-
 CÆ. UTILITATI. CONSULUIT

NO-

A N O T I Æ

DIOECESIS Paderbornensis tam multas atque uberes passim aquarum perennium venas habet, ut nullam facillè regionem tot amœnis, dulcibus, & copiosis fontibus putem irrigari. De fluviis omnibusque celebrioribus, in notis ad Luppiæ, Amisii, & Paderæ fontes, aliquam suprâ fecimus mentionem. Ut nihil nunc dicam de Saltcotena oppido, aquâ, unde sal coquitur, nobili: ut præteream Upsfrungam, ubi primum est *Hedera*, in Actis S. Liborii commemoratâ, caput: *habemus in propinquo Alpheum*, inquit Horrion in Panegyri. Paderb. lib. 2. cap. 7. *cujus Arethusam frustra rerum naturalium curiosi jam pridem persequuntur. Nempe non longè à nova Beca rivus est non modicus, qui terrâ hauslus sese, nescio quò, oculis mortalium eripit. Mirabilius propè est, quod duo rivus ad Liechtenaunum oppidum confluentes repente absorbentur, verùm non uno semper meatu, sed prout aquæ impetus tulit. Itaque admodum quinque jam patent, neque dubitat interdum novos aperire.* Tantum de aquis dulcibus.

Nec acidulis saluberrimis carent Paderbornenses. De *Smechtana* paulò antè. *Bracula* & *Driburgum* etiam acidulis abundant: *Braculenses* non adeò celebrantur. *Driburgenses* sub radicibus silvæ Teutoburgiensis, hodie *Driburgensis* dictæ, in medio prato, uberrimâ scatebrâ emicantes, ut a core suo & colore, quo tinctus fontis limus, & solum rubescit, aluminis ferrique venas referunt; ita salubritate, præstantiâ & copiâ aquarum excellunt.

Hæc de acidula Driburgica & monumentis Paderbornensibus. Quæ benignus Lector, donec universâ hystoria Paderbornensis suo tempore lucem aspiciat, promulsidis vice degustet velim, & æquo animo ferat, si alieno fortassis loco, familiæ Furstenbergicæ memoria, è vicino Westphaliæ Ducatu huc allata, Paderbornensibus monumentis subnecti videatur. Quanquam haud aliena ab instituto ejus familiæ mentio videri debet, quæ duos Episcopos ac Principes Paderbornensibus dedit, quorum alter innumeris pietatis ac munificentiae operibus, alter his aliisque monumentis diocesim exornavit.

OM

OL